14

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE, DE VARIOLIS.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

P. GULIELMUS FERGUS,

HIBERNUS,

Societ. Phyſicae Edin. Soc. Hon.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIII.

Viro imprimis colendo,

Patruo ſuo dilectiſſimo,

GULIELMO FERGUS, M. D.

In oppido Tuam, in comitatu Galvidenſi,

Artem medicam,

Summa cum laude hominumque ſalute, exercenti;

Ob innumera in ſe ſuoſque collata beneficia,

Hancce diſſertatiunculam,

animi haud ingrati

monumentum,

Qua decet obſervantia,

D. D. Cq.

AUCTOR.

Mr. Thorn

with Compts.

from the

Author

TENTAMEN MEDICUM,

INAUGURALE,

DE

VARIOLIS.

DE variolarum antiquitate inter medicos disputatum fuit, et super hac quaestione alii in alias sententias abiverunt. Quidam hunc morbum gravem Graecis notum fuisse contenderunt, ad eorum scripta provocantes, dum alii illud prorsus negarunt. Controversia haud magni momenti est, praesertim cum in hoc satis conveniant medici, quod Rhazes primus omnium hujus morbi historiam plenam et accuratam tradiderit.

Variolas primum in plagis calidis, in Africa, nempe, et Æthiopia, sese ostendisse cen-

ſet Meadius, indeque in Europam delatas fuiſſe, vel per contactum, vel mediantibus ſubſtantiis laneis, aliiſve id genus.

Circa undecimi ſaeculi finem, initiumve duodecimi, indies augebatur malum, ob bella cum Saracenis geſta Terrae Sanctae cauſa recuperandae, et ex hoc tempore ejus progreſſum notare per diverſas Europae partes in facili et in expedito eſt.

DEFINITIO.

Medici, ex quo tempore noſologiae colendae incubuerunt, plurimas variolarum definitiones excogitaverunt; inter quas praeſertim eminet definitio Culleniana, aliis, me judice, facile anteponenda, quippe quae, miſſis ambagibus, ſigna morbo propria et praecipua ſolummodo complectatur.

Cum ad duplicem variolarum ſpeciem hae ſpectent obſervationes, operae pretium erit

erit utriuſque definitionem noſologicam in medium proferre.

Variola (diſcreta) puſtulis paucis, diſcretis, circumſcriptione circularibus, turgidis, febre eruptione facta, protinus ceſſante.

HISTORIA MORBI.

Variolae nemini parcunt, niſi qui morbo jam defunctus fuerit. Omni anni tempore, praeſertim inter aequinoctium vernum et autumnale, graſſantur. Contagium varioloſum corpus ingreſſum varia producit ſymptomata, quibus enumerandis nunc me accingo, Sydenhamo duce viamque monſtrante.

VARIOLA BENIGNA.

Morbo adveniente, langueſcit aeger, hebeſcit, et ad ſudorem proclivis redditur. A primo

primo variolarum impetu ſeſe mutuo excipiunt et horror et calor, veſperi ſenſus frigoris, per horas quaſdam obſidens, perſentitur, cui evaneſcenti ſuccedunt blandus quidem calor, capitis dolor, ſitiſque, crebra adeſt nauſea atque vomitus ; dolor ex epigaſtrio preſſo, dolores acutiſſimi circa umbilicum torquentes, vel per dorſum diffuſi, lumbaginis aemuli, aegrum affligunt excruciantque. Haec omnia ſymptomata ſub noctem vi intenduntur ; mane vero, ex ſudore leni profluente, levamen accipiunt, perſtantibus tamen languore viriumque jactura.

Die mali ſecundo, ſymptomata quae mane ſopita videbantur, veſperi recrudeſcunt, ſaeviuſque furunt. Huc et illuc ſe jactat aeger, inquietus, inſomnis, et delirio ſaepiſſime affectus. Sub idem tempus, convulſionibus infantes haud raro corripiuntur, quae quidem eruptionem inſtare, et etiam mites et boni moris futuras variolas, ſi illarum numerus exiguus fuerit, praenunciarent.

Tertio

Tertio die, perſtante ſudore, erumpunt papulae, et tunc febris vel ex toto evaneſcit, vel multum imminuitur. Exacerbatio veſpertina iterum ſe prodit. Mitior vero et brevior, quam quae diebus praecedentibus accidiſſet; maculae rubrae, exiguae, humiles, per frontem ſparſae, et ad radicem capillitii praeſertim confertae, medico ſe oſtendunt; in collo deinde apparent, et gradatim per totum corpus conſpici poſſunt. Mole ad diem ſextum creſcunt, quo tempore, ſummam ſuam magnitudinem adeptae, molem piſi hortenſis, pro maxima parte, habent.

Die quarto, roſam Damaſcenam colore referunt, quo tempore maculae albae in illarum apicibus apparent, gradatim ad ſextum diem flaveſcentes, quando perfectum flavum colorem induunt. Tumor per faciem, praeſertim ad baſes et intervalla puſtularum, diffunditur; tumeſcunt palpebrae, veſicae tumidae ſaepe ſimiles; clauduntur oculi; aliquando palpebris tanta accedit inflammatio, ut a ſe invicem ab initio eruptionis

tionis divelli nequeant; has mutationes ſubit imprimis facies, totumque corpus poſtea ſimili modo afficitur. Puſtulae et ſpatia puſtulis interjecta gradatim colorem ſuum vividum amittunt; materie quae in illis fuerat in pus converſa, quod brevi cruſtae ſubſequuntur; tumor faucium et deglutitionis difficultas, quae ſemper variolas confluentes comitantur, raro ullam moleſtiam in hacce ſpecie faceſſunt.

Eruptione facta, febris ex toto fere ceſſat, ſed ſi puſtulae numero plures ſint, quamvis diſtinctae, res minime in vado eſt; circa criſin enim ardore, ſiti, dilirioque aliquando corripiuntur aegri, et medicus in eo omnes intendere debet animi nervos, ut malum avertat ſubnaſcens; cum enim altas egerit radices, et corpori penitus inſederit, nihil poteſt medicina.

Subſidente faciei tumore, evaneſcunt ſymptomata enumerata.

Septimo die finitur ſuppuratio, octavo puſtulae flaveſcunt, quod ex materia partim abſorpta, partim foras eliminata, pendet.

det. Et duplex hic proceſſus pergit, donec nihil niſi cruſta in conſpectum ſe dederit; his cruſtis delapſis, aliquando, ſed raro, veſtigia ſeu cicatrices ſeſe oſtendunt.

Symptomatis variolarum diſtinctarum enumeratis, hiſtoria confluentium conſideranda venit.

Variola (confluens) puſtulis numeris confluentibus, circumſcriptione irregularibus, flaccidis, parum elevatis; febre poſt eruptionem perſtante.

VARIOLA MALIGNA.

Inter variolas diſtinctas et malignas multum intercedit ſimilitudinis; hae vero ab illis et natura et vi ſymptomatum differunt. In malignis, vomitus adeſt perpetuus, tantaque faucibus accedit inflammatio, ut quibuſdam in caſibus medicus ſagax, et ſedulus morborum indagator, variolas confluxu-

ras

ras facile praenunciare poſſit; non tam ad ſudorem proclivis quam in diſtinctis ſit aeger. Suppurationem interdum praecedit diarrhoea, quae per aliquot dies poſt eruptionem durat. Secundo vel tertio die, erumpunt maculae, quae raro ſerius ſe produnt, niſi atrocius quoddam ſymptoma ſe oſtenderit. Quo citior evenit eruptio, eo ferocior morbus; maculae parvae, obſervatu difficiles, inſtar eryſipelatis, erumpunt; quod quidem in culpa fuit, cur medici egregii nonnullos et variolis et morbillis eodem tempore decubuiſſe affirmaverint. Quo numerus illarum major eſt et ſupparatio citior, eo magis confluent puſtulae. Hoc ſaepius in facie, quam in aliis corporis partibus, contingit. Febris, quae in diſtinctis, eruptione facta, vel prorſus evaneſcit, vel, viribus fractis, perſtat, in malignis recrudeſcit, ſimulque omnia ſymptomata, vomitu excepto, aegrum affligunt excruciantque. Exacerbatio veſpertina morbum per totum ejus decurſum comitatur; paroxyſmi epileptici infantes adgrediuntur, quibus haud ra-

ro

ro ante eruptionem factam exitio ſunt. Progrediente morbo, tumeſcit facies, tumeſcit et cervix, deglutitio fit difficilis, ſaliva magna copia profunditur, reſpiratio impedita ſuffocationem ſaepe minitatur. Eo majore in periculo verſatur aeger, quo citior apparet faucium inflammatio. Qui aetatis annum decimum expleverint, iis ptyaliſmus ſupervenit, os, fauces, &c. denudans, ſaliva circa criſin viſcidior et tenacior facta, ſumma cum difficultate excernitur, et maximas excitat in corpore turbas, aegro ſaepiſſime exitioſas. Faciei tumore ſubſidente, grave hoc ſymptoma levatur; huic fluxui minime obnoxii ſunt infantes, ſed loco ejus diarrhoea corripiuntur. Licet quaedam ex puſtulis aliquando diſtinctae ſint, attamen formam conicam, quam in benigna variola obſervare poſſumus, nunquam adipiſcuntur; nec margine cinguntur inflammato et rubro; humor puſtularum modo pellucidus eſt, modo ſanguinolentus, aliquando rubrum induit colorem, aliquando lividum ſeu ſubnigrum. Cum haec ſymptomata a ſangui-

ne diſſoluto pendeant, maximum indicant periculum. Morbi finem verſus, cutem pruritus obſidet, et partes quibus cutis detracta fuit haud raro in gangraenam abeunt.

Nunc areſcit cutis, et, niſi vires penitus fractae fuerint, accedit brachiorum et manuum, et poſtea pedum et crurum, tumor. Puſtulae ibi diſtinctae remanent, et pus continent, fluidius quam in altera ſpecie obſervare licet.

Si vero res aliter ſe habuerit, et naturalis harum partium tumor non contigerit, actum eſt, pro maxima parte, de aegri vita. Nova incumbit aegritudinum caterva lethalis; delirio, tendinum ſubſultu, corripitur aeger; faeces invite dejiciuntur, lingua areſcit, urina parca vel ſanguinolenta redditur, vel omnino ſupprimitur, et tandem mors tantis malis finem imponit.

Dies decretorii primum ab Hippocrate, et poſtea ab aliis ſcriptoribus, obſervati, in variolis maxime evidentes ſunt; a vi ſymptomatum quae die ſeptimo ſeſe oſtendunt, quid

quid de morbo praeſagiendum ſit dicere licebit. Mors aliquando die undecimo accidit, et ſaepe repente et inopinate; ſuum curſum tam celeriter aliquando abſolvit, ut mors contingat die ſexto; febris hectica, modo citius modo ſerius, ſe oſtendit; circa diem decimum praeſertim oritur, et incertum tempus manet; ex partibus puris tenuioribus in ſanguinem revectis, ſi mihi judicare fas ſit, originem ducit: Eam enim non obſervarunt medici, niſi prius ulcus cutem abraſiſſet.

CAUSÆ REMOTÆ.

Cuique varias hujus morbi hiſtorias perpendenti, planum et evidens erit, variolas a contagio ſui generis ortum ducere; quaenam vero ſit ipſius contagii natura vel origo omnes, quantum ſcio, latet; variae tamen res morbum graviorem facere poſſunt, quales metus ſunt, triſtitia, ebrietas, diaeta nimis tenuis, et venus nimis culta.

Quantum

Quantum ad corpus debilitandum conferat metus, quiſque novit, ſanguinis circuitum reprimit, vim muſcularem imminuit, totum corpus pallidum inerſque reddit. Varia dyſpepſiae ſymptomata gignit, denique vim mentis et aciem judicii hebetat.

Ebrietas.—Dum vino ſepulti corpora trahunt homines impune ſeſe contagio objiciunt; ſed ſomno refecti, debilitate tamen non penitus excuſſa, virus carpunt lethale, et morbis inde ortis implicantur.

Diaeta nimis tenuis.—Victus tenuioris, aſtheniae proles frequentiſſima, ad plurimos morbos viam ſternit; cum tamen periculum a variolis metuendum non tantum a vi corporis imminuta, quantum a diatheſi inflammatoria, pendeat, fortaſſe inter cauſas diaeta tenuis minime recenſenda fuit; verum enimvero, talis vivendi ratio homines ad contagium ſuſcipiendum, quamvis id ſuſceptum nutriat foveatque, habitus phlogiſticus, qui oleum camino, ut ita dicam, addit, opportunos reddere poteſt.

Quo

Quo calidior fuerit anni tempeſtas, eo ſaevius furent variolae, ut ex obſervationibus Sydenhami et Swietenii liquet; qui aetate provectiori ſunt, et cibo ex animalibus confecto veſcuntur, variolis malignis, ut plurimum, dum infantes, quibus et corpus debile eſt et victus tenuis, tantorum expertes malorum, benignis corripiuntur.

Cauſae jam memoratae ad majorem puſtularum numerum educendum multum conferunt. Quin et calor, vel ex Sole proveniens, vel ex ignibus arte accenſis, et emplaſtra cuti admota, Suttonii fautoribus confitentibus, eoſdem producunt effectus.

Quaenam ſit iſtius ſeminii natura, quod ad variolas viam ſternit, vel corpus contra viri varioloſi vim firmat, non deſunt enim homines qui, ſeſe ſua ſponte variolis objicientes, immunes perſtiterunt, nihil affirmare volo. Nocte enim atra haec obvolvuntur arcana, aciemque oculorum omnino effugiunt.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Contagium varioloſum in corpus receptum, vel per pulmones per cutem ventriculumve, more aliorum fermentorum, quandam fluidorum partem in ſuam naturam convertit, genus etiam nervoſum quodammodo afficit, ita ut, qui morbum ſemel perpeſſus eſt, vitam variolis immunem poſtea tranſigat; iiſdem prorſus proprietatibus ſemper imbutum eſſe hocce videtur virus. Variare quidem poteſt malignitatis gradu; ſed ipſius intima natura perennis viget et immutabilis. Quae vim contagionis flectunt, ſunt aetas, temperamentum, aliaeque corporis conditiones ſupra relatae. Item aëris conſtitutio epidemica; variolae enim, aeſtivo calore ingruente, peſſimi moris obſervantur, vere mitiores, et hyeme mitiſſimae evadunt. Progreſſui variolarum obſtat fortaſſe mundities; cuique enim variolas epidemice vel ſporadice graſſantes conſideranti

ti facile patebit, hunc morbum, in locis illuvie et ſordibus foedis, praeſertim ſtragem edere horrendam. Pagis enim ſuburbiiſque potiſſimum infeſtus eſt, et quin ſordes ad oſtium accumulatae, uti plebi in uſu eſt, variolarum curſui faveant nullus dubito.

DIAGNOSIS.

Exanthemata, cujuſcunque fuerint generis, primo impetu eandem prae ſe ferunt ſpeciem. Nonnihil quod ad primam frontem inter variolas, morbillos, varicellam intercedit ſimilitudinis. Symptomata cuique ex his morbis propria, ſi famae ſuae et aegri vitae conſulere velit medicus, cognoſcere debet. Ut res clarius illuceſcat, quotquot ad diſcrimen conferant enumerabo. Morbo ingruente, diagnoſis minime in expidito eſt; ſed ſi variolae epidemice graſſantur, ſi aeger, ſymptomatis febrilibus correptus, hoc morbo nunquam decubuiſſet. Si hoc morbo affectis interfuerit; denique, ſi inſitio variolarum

olarum facta fuerit, naturam morbi dignoſcere poſſumus, et variolas brevi erupturas praenunciare.

In varicella, papulae ſe produnt, nulla vel ſaltem leni et obſcura febri praegreſſa, quae cito deſinit; papulae in veſiculas cito efformantur, et materies, quae in illis adeſt fluida, manet, et pus minime refert, poſt tres vel quatuor dies cruſtae apparent, et brevi dilabuntur, tum aeger ad varia ſua munera obeunda aptus evadit.

Variolas prima quidem eruptione rubeola quodammodo refert. Sed decurſu planum et evidens eſt diſcrimen. Papulae in morbillis non niſi die quarto erumpunt. Morbillos comitatur tuſſis ſicca et rauca, cum lacrymatione. Reſpiratio impeditur, cum aeger ſternutatione et coriza afficitur. Febris, quae in variolis diſtinctis eruptione facta evaneſcit, rubeolam minime deſerit, et varios producit effectus. Convulſiones, quibus die vel ante eruptionis diem corripitur aeger, variolas brevi erupturas, ex quorundam medicorum ſententia, praenunciant.

Haec

Haec tamen aſſertio iniquis forſitan innititur fundamentis; teſtantibus enim Swietenio, aliiſque magni nominis viris, rubeolam aliquando praecedunt paroxyſmi epileptici, medico aliquid luminis inde affulgere poteſt, quod dolor ante eruptionem ex epigaſtrio preſſo oriatur.

PROGNOSIS.

Ut cognoſcamus quid de morbi eventu praeſagiendum ſit, animum ad varia, ordine quo occurrunt, ſymptomata adhibeamus oportet.

Convulſiones, poſt eruptionem adorientes, febris quae ſopita videbatur denuo accenſa, puſtulae flaccidae ichore tenui refertae, et ſpatia puſtulis interjecta depreſſa, maximum indicant periculum; ſi his accedant maculae per cutem crebrae, et urina ſanguinolenta, ſi male oleat anima, ſi ſanguis variis e corporis partibus, e naſo, gingivis, e pulmonibus, ſtillet, mortem in propinquo eſſe praeſagire licebit; praeſertim

tendinum ſubſultu, dentium ſtridore, delirio, ſupervenientibus, ſymptomata jamjam memorata, quippe quae putredinem fluidorum deſignent, difficillime curantur. Tanta huic morbo aliquando vis ineſt, ut mors die octavo aut ante accidat, et, licet mortem non intulerit, gignit tamen aliquando ulcera ſanatu difficillima, vel morbos quoſdam, ſicut ophthalmiam, phthiſin, et diarrhoeam.

Eventus tamen alia habetur ratio, ſi febris lenis et mitis eruptionem praeceſſerit; ſi papulae diſcretae non niſi tertio die eruperint; ſi, eruptione facta, febris protinus ceſſaverit, vel viribus fractis perſtet; ſi facies denſo agmine puſtularum minime obruatur; denique ſi, puſtulae margine rubro et inflammato cinctae, pus boni moris tempore debito oſtendant. Rebus ita ſe habentibus, ſpes eluceſcit, et ſanitas in propinquo eſt. Si diarrhoea infantes et ptyaliſmus adultos adoriens, modum non excedant, ſi tumorem faciei excipiat, tumor et manuum et pedum, res pro maxima parte in vado eſt; aegrum enim brevi poſt tempore

feſſum

feſſum et exhauſtum, reficit dulcis quidem ſomnus; et, cibi deſiderio redeunte, omnia ſymptomata morbida protinus evaneſcunt.

RATIO SYMPTOMATUM.

Sitis—per totum morbi decurſum urget. Ut plurimum ſitis, et duplici cauſa, me judice provenire videtur; ex calore totum corpus obſidente, et forſitan ex ſaliva circa criſin viſcidiore reddita. Spaſmus etiam, vaſcula tenuia occupans, ſecretiones cohibendo, ingratam hanc ſenſationem ciere poteſt.

Capitis dolor, delirium, convulſiones.—Contagium varioloſum in corpus receptum ſanguinis circuitum auget, quo facto, ſanguis, in vaſa capitis propulſus, tubulos minimos dilatat, et inflammationem inducit, quae forſan in cauſa eſt cur de capitis dolore tam ſaepe conquerantur aegri febribus, et praeſertim variolis, decumbentes. Ex iiſdem cauſis gradu majoribus convulſiones oriuntur et delirium.

Petechiae.

Petechiae.—Haec pendent ſymptomata a ſanguine diſſoluto, et in telam celluloſam effuſo.

Vomitus.—De mirabili illo conſenſu qui inter cutem et ventriculum intercedit, apud omnes conſtat, unum e multis, quae huic opinioni fidem faciunt, exemplis, memorare ſufficiat. Sydenhamus egregius, cum diu vomitionem in peſte ſubortam variis internis remediis, ſumma cum cura et diligentia adhibitis, compeſcere fruſtra tentaſſet, aegrum ad ſudorem ſtragulis accumulatis tandem accinxit; indeque factum eſt, quod vomitus antea aſſiduus, et fere perpetuus, brevi ex toto deſierit.

METHODUS MEDENDI.

Antiqui in eo omnem medelam collocaverunt, ut ſtimulantibus, cujuſcunque fuerint generis, et regimine calido, puſtulas educerent, ſcilicet, in ea opinione remanentes,

tes, quod, hacce methodo adhibita, materies morbifica ſubacta foret, et corpore eliminata, quanta ex hac praxi dira et nefanda ſcaturiverint mala, ne unus quidem ignorat, laus et honos Sydenhamo illuſtri, qui huic methodo infauſtae ſe totis viribus oppoſuit, et aliam rationi magis conſentaneam firma baſi ſtabilivit. Ope medica vix indiget variola benigna, quae calorem excitant nativum, quae ſanguinis circuitum accelerant, ſedulo evitanda ſunt. Proſunt cibus vegetabilis, et diluentia ſicut, aqua cum ſucco limonum vel aurantiorum, ad gratum acorem, multum ſub dio verſari, modo a radiis ſolaribus defendantur aegri, haud parum juvabit; ſi tali rationi uſi fuerimus nihil amplius ſupereſt agendum, et aeger ſuae ſpontis brevi futurus eſt. Variolae malignae alia eſt ratio, quamobrem de medela quae huc conducit fuſius tractare conabor.

Tria ſunt medendi conſilia.

1*mo*, Diatheſi phlogiſticae obviam ire.

2*do*,

2*do*, Quaedam levare ſymptomata moleſta.

3*tio*, Fluidorum putredini obſiſtere.

Ad primum conſilium explendum conducunt.

1*mo*, Vaenaeſectio.

2*do*, Purgatio.

3*tio*, Emetica.

4*to*, Diluentia.

5*to*, Frigus externe adhibitum.

Si pulſus plenus et validus ſit, oculis rubris et facie tumida apparentibus, ſi inflammatione fauces teneantur, praecedatque eruptionem delirium, tunc ſanguis, pro re nata, mittendus eſt, iterum iterumque mittendus, ſymptomatis perſtantibus, vel de novo recrudeſcentibus. Falluntur qui venaeſectionem ad impetum febris levandum damnent. Nullum enim aut praeſtantius aut tutius nobis praeſto eſt remedium, ad hunc finem aſſequendum, praeſertim in adultis junioribus et natura validis.

Purgatio.—Ad diatheſin phlogiſticam levandam hocce confert remedium; vim febris reprimit,

reprimit, et inteſtina rite evacuando, et alvum modice ſolvendo, pericula a ſtercore accumulato provenientia optime ſummovet. Febre eruptiva perſtante, ad purgationem felici cum ſucceſſu decurritur; quippe quae impediat, quo minus puſtularum onere cutis obruatur. Per totum morbi decurſum, proſunt lotiones emollientes, inflammationis ſignis graviter urgentibus, et ſaepius in die repeti debent. Si evacuatione larga opus fuerit, ex ſtimulantibus confici poſſunt.

Emetica.—Quantum proſint haecce remedia, omnibus notum eſt; multis laudibus ea cumulavit Sydenhamus, vir ſagax, et in morbis curandis expertiſſimus. Quanta in uſu emeticorum collocanda ſit fiducia, ex hoc conſtat, quod vomitus adſit creber, cum dolore circa ventriculum haerente, quae mala vomitio plenior arte excitata in hoc, ut in aliis caſibus, haud raro ſummovet.

Diluentia.—Cum in eo ſatis conveniant medici, quod ex uſu diluentium multum percipiatur fructus, nonnulla, quae ad hanc rem maxime reſpiciunt, enumerare ſufficiet.

Inter

Inter varia hujuſmodi remedia praeſertim eminent potus acidulatus, aqua hordeata, &c.

Frigus.—Ante Sydenhamum illuſtrem, qui variolis decumbebant veſtibus obruebantur, ad promovendum eruptionem puſtularum, focis magnis, feneſtris curioſe clauſis, et ingenti onere ſtragulorum a frigore omni cura cavebant; hanc vero methodum falſiſſimam et pernicioſiſſimam eſſe, ſatis ſuperque demonſtravit vir immortalis jam memoratus. In omnibus morbis acutis, praeſertim in variolis, maxime prodeſt aër recens. Varia remedia, ad variolas debellandas apta, fruſtra dabuntur, ſi regimen calidum adhibitum ſit; quod adeo verum eſt, ut magni nominis medici aegros in conclavi ampla, feneſtris apertis, tractandos curent; et quidem felici cum ſucceſſu; etiam ſub dio multum conſumere temporis juvabit, ut ex uſu quotidiano conſtat. Ipſe quoſdam hoc morbo correptos vidi, qui ſe aëri frigidiſſimo exponerent abſque ullo damno; et quamvis talis aëris temperies valetudine

letudine illibata perſtante plurimum noceret; tamen inde factum eſt quod morbus ferociſſimus ſuos repreſſerit tumultus mitiorque evaſerit. Æger, ſi ob vim morbi prodire nequeat, in cubiculo decumbere debet amplo, et cujus feneſtrae ſemper apertae ſervantur, et ſi ad ſeptentrionem ſpectant, eo melius; ne ſtragulis nimiis et accumulatis oneretur ſedulo cavendum eſt. Hocce adhibito regimine, impetus febris reprimitur, et puſtularum numerus imminuitur.

Quae ad ſecundum conſilium ſpectant enumeranda ſunt.

Convulſionibus, quae infantes, eruptione ſuboriente, corripiunt, remedio ſaepiſſime eſt aër frigidus admiſſus. Si malum perſtiterit, hirudines vel cucurbitulae cruentae temporibus admotae, praeſertim vero opiata, levamen afferent. Ad dyſuriam iſchuriamve levandam, et abdominis dolores amovendos, proſunt opiata, ſemicupium. Utiles haud raro inveniuntur lateres cocti abdomini admoti, vel veſicae aqua tepida impletae.

pletae. Si haec omnia iſchuriae removendae imparia ſint, ad uſum catheteris decurrendum eſt, dejectiones ſanguinolentae, urina ſanguine tincta, rem in praecipiti eſſe oſtendunt, et perraro medicinae cedunt. Ad dejectiones reprimendas, aliquem promittunt ſucceſſum enemata ex opiatis parata; cum vero haec ſymptomata a ſanguine diſſoluto pendeant, de remediis quae illis accommodantur in capite ſequenti verba faciam.

Fluidorum putredini occurrere.—*Frigus.* Jam ſatis de viribus frigoris in impetu variolarum febrili cohibendo dictum, et certe ad putredinem avertendam nullum remedium praeſtantius nobis cognitum eſt.

Cortex Peruvian. vin.—Haec remedia vi antiſeptica pollent. Cortex primario quidem modo in ſolida viva agit, illaque roborando et confirmando putredini obſiſtit; ex debilitate enim et vi nervoſa imminuta ſaepe naſcitur in putredinem proclivitas.

Acida.—Multis efferuntur laudibus acida mineralia

mineralia et vegetabilia, et per totum morbi decurſum adhiberi debent; quippe quae corpus calore confectum recreent reficiantque.

Opium.—Utrum qualitatibus antiſepticis donetur opium necne, ambigitur. In ſpecie quadam gangraenae profecto haud parum aliquando profuit. Sed haec proprietas pendet, me judice, a quadam in ſolida actione, quicquid ſit; de hac opinione multum commodi ex uſu ejus obtineri poteſt. Somnum enim inducit, dolores compeſcit, et ſuppurationem promovet.

Haec ſunt ad putredinem cohibendam medicamenta commendata. Circa criſin, ut jam ſupra annotavi, ſummum metuendum eſt periculum, et in id omnes intendamus oportet animi nervos, ut faciei tumorem, artuum tumor ſubſequatur, et puſtulis medeamur. Quidam, ſuppuratione facta, puſtulas incidunt; quod mihi minime arridet, utpote quod frigus vulneribus admiſſum moleſtiam frequenter faceſſat, et quin idem in hoc caſu ſequeretur effectus, nullus dubito.

Quae-

Quaedam de uſu frigoris cautelae in hoc morbi ſtadio neceſſariae ſunt. In ipſo variolarum impetu nullum remedium praeſtantius nobis cognitum eſt, quam aër frigidus; ſed, ſuppuratione facta, res aliter ſe habet; partes enim irritando ulceribus nocet. A purgantibus circa criſin abſtinere juvabit, quippe quae artuum tumori impedimento ſint. Poſt artuum vero intumeſcentiam, lenia quaedam, ſicut manna, caſſia, et ſimilia, adhiberi poſſunt.

Ad artuum intumeſcentiam promovendam, epiſpaſtica pedibus admota, quibuſdam medicis teſtantibus, haud parum conferunt; ex illorum uſu nullum fructum obſervavi, et in duobus caſibus, quos mihi videre contigit, gangraenam excitando mortem acceleravere. Partes ulceratae quodam unguento emolliente contegi debent.

Febris hectica, quae variolas excipit, a puris abſorptione, me judice, oritur. Medelam ex venaeſectione et purgantibus, ſi inflammatoria ſit, accipit. Si ad typhi naturam

ram accedat, omnis noſtra ſpes in cort. Peruvian. et vino generoſo, collocanda eſt.

Hocce tentamine ad finem perducto, hoc ſolum ſupereſt, ut viro praeſtantiſſimo, mihique amiciſſimo Nicolao Browne, M. D. artem medicam Tuamae feliciter exercenti, omnibuſque in alma hac academia Profeſſoribus, qui plurimum curae in me docendo collocarunt, gratias quam maximas agam; praeſertim Gregorio celeber. quem omnes, non ſolum ob peritiam in arte medica ſummam, et ingenium ejus florentiſſimum, admirantur, ſed diligunt amantque, ob morum comitatem et animum benignum.

FINIS.